

NVMMVS TRIVMPHALIS
 STATUUM UNITARUM BELGII PROVIN-
 ciarum: cufus Gertrudisbergâ à Prin: Naffovio
 expugnatâ: Anno Christi

1 5 9 3.



Onfoederati Belgicarum Provinciarum Ordines cum minus rectè ordineque in castris hostium multa fieri animadverterent, oblatâ opportunitate utendum esse duxerunt. Collecto itaque exercitu, pluribus navigijs, ratibus, pontonibus, majoribus tormentis, aliarumque rerum necessariorum ad maximam obsidionem copiâ, simulant, se Düncker-nam velle obsidere: sed summa usi celeritate Mon-res Gertrudis navigant, urbemque 28. Martij terra marique arctissimâ obsidione cingunt. Qui in urbe erant, fortissimè sese defendunt, sperantes, Regios sibi opem laturos. Sed dum illi cunctanter agunt, Mauritius cum suis urbem ab eâ parte, qua continentem spectat, fossis adeo latis firmisque vallis ac propugnaculis cinxit, ut castris eum exuere, rerum difficilissimarum una esse videretur. Nec vero commeatus poterat metuere inopiam, cum in conspectu esset Dordracum, cum totâ Holandiâ, unde brevissimus erat in castra trajectus, quem Regij nequa quara impedire poterant. Oppidanis cum trium iam mensium spatio obsidionem sustinuissem, regia tandem subveniunt auxilia, Duce Mansfeldio Seniore: qui ut Mauritium castris exueret, obsessis subveniret, nullum non movebat lapidem. Velitatione deinde unâ alterâve interiectâ, quæ ferè iustæ pug-næ faciem repræsentaret, res utrinque multò atrocius agi cæpta. Expug-nato propugnaculo in agro Stelhoviano, jussu Mauritiij tormenta omnia dis-ploduntur, & sclopis densissimis glandium imbres in subjectas plateas ex propugnaculo demittuntur: fragore tanto ac crepitu, ut cælum rumpi, terra dehiscere videretur: obsessi, ad colloquium admitti cupientes, terque tympanum pulsantes, audiri non potuerint: donec tandem disiecto non-nihil fumo, pileis, hastis suis impositis, signum deditiois ostenderent. Mauritius confestim tres obsides sibi in castra mitti iubet, ipse vicissim duos in urbem